NAUTA ET ARCHYTÆ TARENTINI

EXPLANATIO

HORATII CARMINIS VICESIMI OCTAVI LIBRI PRIMI

QUA AD

EXAMEN SOLLEMI

D. XXVIII. MART. A CIƆIƆCCCXLIIII

IN GYMNASIO CARO

INSTITUENDUM

PATRONOS ET AMICOS REI SCHOLA

COLLEGARUM NOMINE

EA QUA PAR EST REVERENTIA

INVITAT

FRIDERICUS LUDOVICUS EGGERT

GYMN. CAROL. DIR[redacted]

STRELITIÆ NOVÆ

TYPIS EXSCRIPSIT CAROLUS GLEY AULAE TYPOGR

Lecturis

S. D. P.

Eggert.

Impleturo mihi, quae ex instituto perquam laudabili JOANNIS FRIDERICI HENRICI AB HIERONYMI, Serenissimi Magni Ducis Megapolit. stirpis Strelit. quondam a consiliis interioribus medicisque supremis, valetudinum principis rectoris, viri in medendi, quam profitebatur, arte facile principis, in humanitatis studiis ita versati, ut magnum sapientiae et virtutis documentum esset, programmatis scholastici hoc anno scribendi partes meae sunt, Horatii carmen libri primi vicesimum octavum, vel post diligentissimas virorum doctorum curas, qui hac aetate multi et antiquitatis bene periti carminis interpretes extiterunt, nondum ita interpretando explanatum, ut poetae ars et mens consiliumque omnino pateant, retractare ejusque intellectum, si qua potero, juvare, non ab re visum est.

Quod antiquiorum interpretum sententiis contra recentiorum

inventa, quamvis ingeniosa, patronus et vindex prodii, non inique, spero, ferent, qui me veritatis studio, quo nullum pluris aestimo, ductum id fecisse audierint. Quae nova a me in medium sunt prolata, ea ut existimatoribus doctis et intelligentibus vera, h. e. Horatii mentis probentur, valde opto; si sint, quibus in aëre piscatus esse atque alia et plura vidisse videar, quam poeta aut ostenderit aut significaverit, humanitatis studia professos etiam atque etiam rogo, ut erranti mihi comiter monstrare viam velint. Hoc pro certo polliceor atque confirmo, me meliora edoctum, quibus ductus sim, errores statim dimissurum esse, non immemorem Ciceronis, cujusvis hominis esse, dicentis, errare, nullius nisi insipientis, perseverare in errore.

Vellem equidem Horatii carmen ab inventionis et compositionis arte eximium, a lyrica vi et sublimitate non minus, quam a dicendi luminibus ac floribus sententiarumque granditate et magnificentia insigne semper a me habitum, omnibus, quibus interpretum culpa obsitum jacet sordibus purgatum, nativo suo nitore splenderet, quam in rem, si quid opera nostra nos contulisse visi erimus, toto laetabimur pectore.

Difficultatum, quas omnium fere summas ac plurimas hujus carminis habere explanationem, non pauci interpretes queruntur, auctorem putare Horatium, est hoc poetae praestantissimo injuriam facere longe gravissimam, qui, quum earum, quibus scriptor vere laudabilis censeri debet, virtutum, in se desiderari passus sit nullam, cave dubites, quin quae composuit carmina tanta collustrarit luce, ut, cui mentis acies non praestricta, elegans ac subtile judicium, exquisita et linguae et prompta rerum scientia, sollers in poeticas cogitationes et formas penitus se insinuandi facultas, religio denique sit, poetae obtrudere, quae ipsi nunquam in mentem venerint, eum nec quid in singulis carminibus spectarit, nec qua id ratione et arte perfecerit, fugiat.

Magnum vero eorum, qui se Horatii interpretes profiteantur, numerum, aut iis, quae ad justam ejus interpretationem necessariae sunt, virtutibus instructum omnino non esse, aut quas habeat, iis inepte saepius, interdum etiam perverse uti, quum aliae multae Horatii carminum testantur enarrationes, tum ejus, de quo, data hac scribendi

1

occasione, pluribus acturi sumus, quod carmen incredibile dictu est, quantopere interpretum ingenia torserit, nulla poetae culpa, ad cujus, qua id composuit, mentem non semper expressam illam quidem, neque tamen involutam et perplexam callidoque et rerum bene gnaro satis perspicuam, diligenter attendere si voluissent interpretes, careremus ista ad explicanda Horatii carmina conscriptorum libellorum mole, qua tantum abest, ut in poeta intelligendo proficiamus, ut una cum ipso obruamur inque turbas explanationum, quibus lumen ademtum est, conjecti, inter varia et diversa interpretum fluctuemus judicia, quae haud scio an interdum rectius delirantium somnia dixeris.

Ac si qui sunt, qui me de Horatii interpretum, quales se nobis fere praebent, studiis justo iniquius statuisse dicant, perlustrent ii adnotationes, quae vocari solent, ac libellos, si non omnes, quod longum est et taedii plenissimum, sed praestantiores ad explicandum carmen libri primi vicesimum octavum in lucem editos, et videbunt, me non injustam de iis sententiam tulisse mihique bonam eorum partem, si quidquam, hoc habere utilitatis dicenti, ut ex iis, qua ratione poeta interpretandus non sit, discatur, haud cunctanter assentientur. Quibus vero, quae ipse carmen illustraturus in medium protuli, ejusdem, vel pejoris etiam generis esse videantur quique me meo libello eorum numerum auxisse judicent, qui Horatium invitis, ut ajunt, Musis et irato Apolline illustrandum sibi sumserint, eos oro atque obsecro, ut, si meum opusculum iis confutatione dignum visum fuerit, eam, vel poetae

causa, defugere nolint, sin minus, id chartis adjiciant ineptis, quibus tus et odores amiciuntur et piper et pisces.

Sed accedamus ad ipsam carminis enarrationem, quam ita instituemus, ut primum de ejus argumento, tum de forma ac descriptione, poetae, ut par est, expressa secuti vestigia et quae dedit indicia paulo tectiora, nec tamen intelligenti obscura, strictim dicamus, copiosiora infra expromturi. Et argumentum quidem bipartito distributum est, ita, ut prior ejus pars sententiam complectatur, qua hominibus ad unum omnibus moriendum ac post mortem in Orcum ejusque tenebras descendendum esse docetur fallique, qui sapientia literisque praecipuos interioreque rerum naturae cognitione eximios aliquando, leto exemtos, sublimes ad beatas caelicolarum sedes abituros esse putent, quum ne eorum quidem cuiquam, qui, fama et fabulis testibus, propter sapientiam et pulchritudinem Deorum consortione digni habiti essent, contigisset, ut sempiternum in coelo cum Dis ageret aevum, posterior animos ab exsecrabili ista impietate absterreat, quae mortuos insepultos jacere patiatur et per hiantem maxime avaritiam ne ad tres quidem illos pulveris exigui jactus, quibus, cui sepulturae ac justis exsequiarum non vacaret, jam justa insepultis solvisse putaretur, tempus sibi sumat. Quod gravissimum carminis argumentum ad veritatis contra vanitatem et humanitatis contra morum immanitatem patrocinium spectans, tanta egregius sapientiae honestatisque magister vestivit et inventionis et compositionis arte, ut facile etiam sollers atque elegans poetae ingenium

agnoscas. Est autem, in quam carminis argumentum inclusit, dialogi forma, Archytae Tarentini umbram inter et nautam habiti, qui, quum in summi philosophi prope litus Matinum insepultum jacens corpus incidisset ejusque umbram ad Styga quietemque descendendi studio circa corpus misere trepidantem videret, casus atrocitate perculsus atque spe deturbatus, fore, ut acerrimus ille speculator venatorque naturae, qui propius adspectasset Olympum inquisissetque Jovem, gravissimorum suorum laborum ac studiorum praemia laturus, si non prius, humanis tamen perfunctus muneribus, Deorum in templa reciperetur, quae primis sex versibus continentur, verba edidit, fluctuantibus interpretum sententiis huc et illuc tracta. Quam quidem dialogi formam ab antiquioribus Horatii interpretibus ad unum omnibus et recentiorum plerisque recte perspectam, ut simplicissimam ac planissimam, ita elegantissimo poetae ingenio dignissimam ejusque consilio non obscure significato maxime consentaneam habitam, quibus cum forma artificiosius quaesita, admodum languida et contorta placuit monologi, quem vocant, commutare, doctas ii ineptias, pace eorum dixerim, nobis venditarunt suisque sagacius videlicet inventis ac studiis male sedulis poetae ad ingenii commendationem nihil profuerunt, ad offensionem adversariorum, quos multos semper habuit, plurimum nocuerunt. Verumtamen quum recentiorum interpretum doctissimi quique, rejecta monologi istius et inventorum et defensorum opinione, ad rectam priorum interpretum sententiam redierint, qui dialogum carmen esse existimarunt, quumque diversarum, quas recen-

tiores interpretes ingressi sunt, dialogi designandi rationum antiquissima eademque usitata mihi maxime probetur, qua carminis primi sex versus nautae, reliqui Archytae umbrae tribuuntur, ea nixus, pleniorem carminis explanationem instituam, ad quam mihi viam aperire non ineptum visum est, de Archyta ejusque vita, studiis et meritis et de eo, qui cum ejus umbra colloquens inducitur nauta, pluribus disputando.

Et Archytas quidem Tarentinus, qui Ciceroni (de senect. c. 12.) magnus in primis et praeclarus vir dicitur, non tantum summus erat philosophus, ad quem ipse Plato (Cic. de Fin. V, 29.) discendi causa se contulit, cujusque cum Platone amicitiam in proverbii consuetudinem venisse Jamblichus narrat, (vid. Ueber die Fragmente des Archytas und der ältern Pythagoraeer. Eine Preisschrift von O. F. Gruppe, Berlin 1840. p. 30.), verum etiam clarissimus mathematicus, egregius Tarentinorum reipublicae, ad cujus gubernacula longum per tempus cum omnium plausu sedit, rector bellique dux in suo genere plane singularis, quippe quem Tarentini, ejus virtute moti, praeter morem sexies, ut refert Aelianus, (Var. Hist. VII, 14.) septies, teste Diogene Laertio, (VIII, 4.) cum imperio esse juberent, quique nunquam nisi victor ex pugnis discessit. (Vid. Geschichte der Pythagorischen Philosophie von Dr. Heinrich Ritter, Hamburg 1826. p. 66.). Quidquid ipsi negotium publicum otii fecit, id omne collocavit in naturae verique investigatione et inquisitione et tametsi omnes disciplinae Pythagoreae partes animo penitus comprehenderat, eminuit tamen unus ex omnibus in mathematica scientiaque machinali,

(vid. Gruppe l. l. p. 64.) cui inter alia nobilitatum illud debebatur columbae ligneae volantis crepitaculique puerilis inventum. (Vid. Gruppe l. l. p. 41.). Eundem clementiae, mansuetudinis, facilitatis, humanitatis specimen fuisse narrant, comem erga servos, quorum liberos ipse instituebat, cum quibus etiam interdum ludebat, tenui victu et cultu, mira abstinentia et continentia, cujus omnia studia ad patriae spectarent salutem. Quo factum est, ut non tantum amores ac deliciae suorum civium [1]), sed etiam lumen et ornamentum reipublicae esset, quem et gratissimis animis et amplissimis honoribus prosequebantur. Nec defuerint apud Tarentinos, qui virum animo et doctrina maximum, vi ingenii plane divina, vitae sanctitate meritisque eximium, heroibus existimarent adnumerandum, qui mortis expertes aliquando ad caelestium concilium coetumque eveherentur, (vid. de la Cerda ad Virg. Aen. VI. 887. Creuzer Symb. III. p. 723. und 753. Nitzsch de Apoth. apud Graecos vulgatae caussis dissert. Kiliae MDCCCXXX. in 4. p. 7—8.), in qua opinione etiam nautam, ad quem jam pergimus, fuisse, verbis, quae primis 6. vss. continentur, adducor, ut existimem. Qui quidem nauta dici vix potest, quam male habitus sit ab interpretibus humanissimis, quibus, quamquam nihil magis improbatum iri persuasum habeo, quam istud malivolorum alteri naviter obtrectandi, invidendi, eumque audacter calumniando in odium

[1]) Archytam etiam apud exteros auctoritate floruisse, quo apud Dionysium, Syracusarum tyrannum, Platonis amici rem gesserit, modus testatur. Vid. Gruppe l. l. p. 28—29.

vocandi studium, vereor tamen, ut ejus suspicione et crimine careant apud eum, qui ab Horatio introductum cum eo, quem ipsi sibi finxerunt, nautam composuerit. Sed ne quid temere dixisse videar, placet aliquot apponere virorum doctorum de nauta judicia, ex quibus, qualem sibi cogitatione informarint, perspiciatur.

Cl. *Monichius*, gravissimae antiquitatis vir, ex sua natura ceteros fingens, a se impetrare potuit, ut in libello, qui inscribitur: Beleuchtungen Horazischer Lyrik, Schwerin, 1837. in 4. p. 19. & 20. de Horatii nauta ita sentiret: „„Dich, — so lässt der Dichter ihn (nautam) sagen, — der messend (mit Wissenschaft ausgerüstet) das Umfänglichste, Meer und Land, wie das kleinste Theilchen, den Sand in seiner Unzählbarkeit, befasste, hält jetzt ein so enger, winziger Raum umfangen, deckt hier in einem Winkel Calabriens eine Handvoll Staub."" Und nun die Folgerung hieraus, wie sie dem Schiffer folgegerecht und vernünftig erscheint. „„Und so hat es Dir denn keinen *Nutzen* gebracht, dass Du kühn mit berechnendem Geiste Dich an den Raum der Sterne gewagt, und in Gedanken herumgeschweift, hin zu den Marken des Sichtbaren (des Weltalls), als wolltest Du Dir Unsterblichkeit erjagen. Thörichter, Dir war ja doch zu sterben *bestimmt*."" So erscheinen mir diese Worte und dann kann wohl nicht in Abrede genommen werden, dass der Schiffer den Archytas bei aller seiner Wissenschaft für einen Mann hält, welcher füglich und klüglich etwas Besseres hätte thun können, z. B. durch eine vita quaestuosa sich Schätze erwerben, was später Archytas

andeutet (v. 27. 28.). Kurz, es geht dann jeden Falls daraus hervor, dass der Schiffer sich für viel klüger, als den Archytas, hält. Et paucis verbis interjectis: der Dichter lässt also den nauta als den Vertreter der vulgären Ansicht so vernünfteln: Dich, der Erd' und Meer messend befassen (bewältigen) wollte, umfängt ein winziges Plätzchen in einem unbedeutenden Winkel der Erde; Dich, der die unendliche Menge der Sandkörner arithmetisch ermitteln wollte, deckt eine Hand voll Staubes; und Du hast also nichts voraus (prodest, nicht profuit), Du, als ein solcher, welcher in stolzer Vermessenheit sich an die Behausung der Götter gewagt, und mit dem Geiste (in seinen hochfliegenden Gedanken) die Marken des Universum durchschweift hat: hast Du doch sterben müssen. Et paulo infra: „Also eingeleitet wird durch eine gehässige Diatribe eines Mannes gemeinen Triebes und Schlages sehr natürlich gewissermassen so: was hilft Euch Narren Euer Jagen nach Wissenschaft, Ihr habt doch nichts vor uns voraus, müsst eben so gut sterben wie unser eins".

Idem in libro, qui inscribitur: Die Horazische Lyra in ihrer Eigenthümlichkeit und Integrität, Berlin, 1841. in 8. p. 6—77. nautam homuncionem habet opinione ductum praejudicata, cavillatorem, nullis verborum contumeliis parcentem, supremi officii impie immemorem, cui ab Archyta haec inculcantur: „„Leiste, anstatt zu höhnen, mit Furcht vor endlicher Vernichtung, die Religionspflicht, so wahr (sic) Lohn oder Strafe, je nachdem Du handelst, Deiner harrt. Um Dich handelt es

sich, — spricht etwa Archytas. Lass Du Dein Vernünfteln; denke an Dich selbst. Hier ist eine Religionspflicht zu leisten. Sei kein schurkischer Bösewicht, der freigebig mit höhnenden Worten (über den Sand v. 1.) im Handeln eine Handvoll Sandes mir entzieht."" [2]) Doctissimus *Gerberus* in: Uebersichtliche Zusammenstellung und Prüfung der verschiedenen Ansichten und Meinungen der Gelehrten über die Ode des

[2]) Omnino mireris Cl. *Monichium,* quem de veterum poetarum interpretandorum munere ac negotio praeclare disputasse docent ea, quae leguntur in ejus libro: Die Horazische Lyra p. 1—17. in constituendo hujus carminis argumento ita aberrare potuisse ab omni politiore elegantia et urbanitate, ut nobis spectaculum non sane jucundum praeberet Archytae cum nauta, homine perditissimo, bajulorum et remigum more rixantis; vide modo Beleuchtungen Horazischer Lyrik p. 20.: „Ein Pythagoras stirbt mit der festen, durch Geistigkeit und Wissenschaft gewonnenen Ueberzeugung von der Unsterblichkeit, eine gemeine Natur mit dem blossen Gedanken des alles Wohlseyn vernichtenden Todes. Ich, der Pythagoraeer, theile nicht den Volkswahn, dass mit dem Tode alles aus ist; Du dagegen, dem im Tode ein exitium erscheint, Du mit Deinem materiellen Denken darfst Dir nicht erlauben, gegen den Leib eine Unterlassungssünde zu begehen, in welchem Falle Du auf Dich und Dein Geschlecht den Fluch herbeiziehn würdest, gegentheils aber erwartest Du Glück und Reichthümer, wenn Du gegen einen unbegrabenen Leichnam die Religionspflicht geleistet hast. (Ne parce malignus, lass es nicht, wie schurkisches Gesindel Deiner Art, daran fehlen, cauponibus atque malignis. Serm. 1, 5.). Quamquam festinas scil. quaestus faciendi caussa, licebit — curras, treibe Dich immerhin wieder herum." Et die Horazische Lyra p. 77. „Bis hieher redet der Schatten in mahnender Weise. Jetzt, da er den Schiffspatron unerweicht sieht, folgt eine *zornvolle* Apostrophe. „„Wie? Du setzest das Heil Deiner Abkommen leichtsinnig auf's Spiel? *Dich treffe mein Fluch!*""

Talia quam digna sint Musa Horatiana et Archyta, summo philosopho, homine omnium lenissimo ac mitissimo, ipse viderit Cl. *Monichius!*

Horaz I, 28. Sondershausen 1839. in 4. p. 17.: „und wirklich zeigt er (nauta) sich auch in seiner Anrede wenigstens als einen Menschen von zweideutigem Charakter. Ich finde in derselben eine Art von spöttischer Schadenfreude, den gewöhnlichen Charakterzug gemeiner Seelen, die in der Bemerkung, dass die im Leben Hochgestellten wenigstens im Tode kein Vorrecht vor den Niedern haben, eine Art von Trost finden."

Cl. *Gernhardus* de compositione carminum Horatii explananda Particula I. Vimariae, MDCCCXLI in 4. p. 12—13.: „Augetur Archytae miseria nautae inhumanitate, qui cum sua sponte philosophi, quod agnovit, corpus tumulo non ornaverit, nec precibus et minis umbrae commoveri potuerit, utrum minimum denique, quoniam festinet, petenti: *licebit Injecto ter pulvere curras*, obtemperet, incertum poeta reliquit, ne nautae asperitas magis, quam Archytae vehementissimum tenuissimi sepulcri desiderium ostenderetur. Ita hoc carmen, si consilium quaeris, acerba est sublimium rerum scientiam unice expetentium philosophorum castigatio, nautae ad quaestum omnia (v. 4. *nec quidquam tibi prodest Aerias tentasse domos* etc.) referentis ore prolata;"

Idem de compositione carminum Horatii explananda Particula III, p. 5.: „Nauta vero, ut mercatores omnia ad quaestum referunt et philosophos uno veri cognoscendi amore et studio flagrantes despiciunt, philosophi in pulvere jacentis aspectu permotus non sine irrisione miratur, quod Archytas ex difficili et ingenti orbis terrarum cognoscendi labore eam mercedem tulerit, ut exiguo litoris spatio, quod corpore tegit, tanquam

in medio cursu cohibeatur, inutilemque dicit istam caelestes regiones perlustrandi audaciam, cum ipse ne mortis quidem expers fuerit." P. 6. „aptissimam vero hanc omnem orationem judicabis esse nautae ingenio, qui temere quae sentit de philosopho expromit, ejusque misera conditione cum studiorum sublimitate comparata ipse suam irrisionem paulatim, communi hominum sorte animadversa, elevat. Neque his dictis quicquam nautae superesse videbatur, quod adderet. Nam justa mortuo tribuendi officium non magis in animum ejus incurrit, quam illud, ut quaerat, quo casu huc sit Archytas delatus: tanta est hominis socordia et stultitiae vanitatisque philosophi reprehensio: in cujus locum denique venit quaedam humanae imbecillitatis observatio, quae monologi instar nullam ab umbra exspectat responsionem philosophi, quem mirabundus, non sciscitaturus, satis acerbe erat allocutus." Et postquam p. 7. nautam dixit sentire inane esse nihilque prodesse caelestium rerum studium, eum p. 8. ab Archyta haberi refert impium, qui ipsum sine sepulcro videatur esse relicturus itaque rogandus, ut commune justa mortuo praebendi officium maligne negligere nolit, negatque Archytae minis et iteratis precibus opus fuisse, nisi durior nautae animus coëgisset, quantum posset socordiam hominis vincere."

Guil. Dillenburgerus Quaestt. Horatian. Bonnae MDCCCXLI in 8. p. 61. „Quidquid enim dicunt interpretes atque in iis etiam *Gerber* p. 21. quidquid afferunt causarum de magna qua floruerit Pythagoras auctoritate et fama, ut non a capitibus solum populi, sed ab ipsa multi-

tudine maximo honori haberetur, Archytam tamen philosophum Pythagoreum ignoto cuivis nautae, duro sane homini omnique bonarum litterarum sensu destituto eidemque maligno irrisori tale de suo magistro ac prope deo judicium tribuere potuisse ut credam non adducor. Ita si philosophus loquitur, ad philosophum solum loquitur; sin alius verba sunt, non minus ad philosophum. P. 65. nautae attribuit acerbitatem et contumeliam, qui in communis sortis humanae miseria describenda cum delectatione quadam moretur. P. 66. nautam ait ex maligno vulgo esse totam carminis naturam suadere. Jam v. 26. Archytae animus injuriis laesus videtur; nam precari et polliceri cui bono, nisi si nauta durum ante et humanis sensibus exutum se praestiterit? Quid? Minae etiam, quae adduntur nonne improbitatem istius et malitiam clarissima luce circumfundunt? Iratus igitur est Archytas, atque iratus propter convicia, quae in se tum tecta, tum aperta conjici audivit. Compellationem: *numero carentis arenae mensorem*, *Dillenburgerus* irrisionis et contemtionis et malitiae plenam habet, quoniam pulverem vel *arenam* numerare v. *metiri* proverbii instar fuerit de re supervacanea et ridicula, et p. 67. poetae verba: nec quidquam tibi prodest Aërias tentasse domos animoque rotundo percurrisse polum, maligne dicta putat.

Nec *Lübkerus*, quo viro nihil vidi mitius, lenius et amabilius, nautae admodum aequus est, qui ipsi (cfr. Commentar zu Horaz's Oden Buch I — III, von Dr. Friedrich Lübker, Schleswig 1841. in 8. p. 159 — 160.) quandam in alloquendo Archyta speciem ac pompam

adhibuisse [3]) et ad ejus sive tumulum, sive corpus arena leviter tectum, philosophum carpens, quam inanis et temeraria in rebus caelestibus contemplandis perquirendisque posita opera sit, secum in animo volutare videtur.

Quaerenti, quid causae sit, cur hi viri doctissimi omnique liberali doctrina politissimi de nauta tam inique tamque aspere sentiant, ut, quem Horatius falsa de summo philosopho opinione captum inducit, eum nescio

---

[3]) „In jeder Beziehung unpassend ist die alte Annahme, der noch selbst *Jahn* und zuletzt *Braunhard* gefolgt ist. Auf die pomphafte Anrede eines aus den Wolken fallenden nauta (denn wie soll man diesen aus v. 23. ergänzen können, ehe man noch das ganze Gedicht zu Ende gelesen hat?), deren kurzer Sinn: Dein mathematisches Wissen hat dich doch vor dem Tode nicht geschützt; antwortet dieser: Auch Pelops, Tithonus und Minos starben, und selbst Pythagoras ist zum zweiten Male schon in der Unterwelt; Alle müssen sterben, die Einen so, die Andern so, ich bin im Schiffbruch umgekommen u. s. w. Die Ungleichheit des Dialogs, die kurze Anrede des Schiffers, die lange Antwort des Archytas, wollten wir weniger drängen, wenn der Inhalt angemessen wäre; wozu aber soll diese seltsame Auswahl von gleichfalls gestorbenen Wesen der mythischen Vorzeit und seines philosophischen Lehrers, und hatte Horaz keine besseren Gründe, um das Studium der Natur und Wahrheit auch bei der Gewissheit des Todes für den Arch. zu rechtfertigen, als eben dies, dass Alle sterben müssen? Und weisen denn die eigenthümlichen Zusätze: *conviva deorum, remotus in auras, Jovis arcanis admissus,* nicht auf eine den in den ersten Versen der Ode enthaltenen indirecten Vorwürfen so ziemlich parallel stehende Vermessenheit und Selbstüberhebung hin, die, fortgeführt durch die Darstellung vom Pythagoras, den wunderlichsten Contrast in dem Munde des Arch. bilden muss?"

Talia nollem excidissent doctissimo *Lübkero,* quem vehementer multoque cum risu miratus sum, quod ne perlegere quidem voluerit carmen, ut, qualis ejus ratio ac natura sit, cognosceret. Illud virum praestantissimum monitum velim, quod Cicero ad Plancum scripsit: (Epist. X, 13.) „tu contexes extrema cum primis!" Quanto rectius *Dillenburgerus* l. l. pag. 59. infra.

qua singulari nequitia praeditum, mire sordidum, in funesto viri innocentissimi casu improbe exsultantem ac tripudiantem, omnia sapientiae, veritatis et naturae studia explodentem, omnis omnino humanitatis expertem, e silice natum habeant, respondendum est, eos nautae et verba et agendi rationem in malam partem interpretatos esse, nec carminis consilium artificiumque perspexisse. Quod ne cui temere arroganterve dictum videatur, ante quam singula, de quibus maxime inter se dissident carminis interpretes, explicem, et, si qua potero, expediam, ejus rationem ac vim sententiarumque ordinem et conformationem sic adumbrabo, nihil ut hauriam ex vano, quo, teste Livio, (XXII, 7.) nimis inclinant ferme scribentium animi, sed expressa Horatii sequar vestigia et indicia identidem data paulo tectiora, praesidiorum, quae antiquitatis scientia et accurata ingeniorum, morum temporumque notatio interpreti subministrat ad carmen recte accipiendum, non negligens.

Nauta, quem ex versu 29. cum *Lenzio* (de Horatii Oda XXVIII Libri I ad fratrem Christ. Ludov. Lenz cfr. Miscellanea philologica edidit *Aug. Matthiae* Vol. I, p. 62.), *Fea* et *Dillenburgero* l. l. p. 62. conjicis esse Tarentinum Archytaeque non ignotum, ex orationis, quo inter se colloquentes utuntur, modo ac genere, virum bonum et non illiteratum, (vid. v. 14—15.) ex Archytae alloquio, (v. 2.) nosse eum civitatis suae lumen columenque, quum improviso in ejus corpus insepultum jacens incidisset, fatali hoc viri summi casu, quo non dirior cuiquam de veterum sententia accidere poterat, (cfr. *Wilhelm Adolph Becker* Gallus Vol. II,

p. 272.) commotus, dolet illud venerabile sapientiae virtutisque decus, illos Tarentinorum amores deliciasque ad omnem fortunae contumeliam projectos esse. Doloris ex acerbo talis ac tanti viri interitu suscepti tristitiam auget tum, quod is non procul ab urbe patria[1]), (*prope litus Matinum*) quae exstinctum maximis amplissimisque muneribus decoratura fuisset, canibus volucribusque dilaniandus jaceat, tum, quod ejus umbra circa corpus trepidanter vagari cogatur, officii omnium facillime exsequendi inops, quo praestito mortuis insepultis trans Styga ad quietem venire liceret. (Vid. *de la Cerda* ad Virgil. Aeneid. VI, 325. Soph. Antig. v. 245. et 259.). Quo vero nautae animus vehementius affligitur, hoc est, quod virum virtuti simillimum et per omnia ingenio Diis, quam hominibus propiorem, quem post fata Aetherias meritis invectum iri arces putarat, demitti cupientem videat ad

tacitas Erebi sedes Ditisque profundi
Pallida regna. (Lucan. Phars. I, 450—51.).

Ac manifesto et insigni doctus exemplo irritas spes discit statuentium, certum esse in caelo ac definitum locum omnibus, qui patriam conser-

---

[1]) Si antiquis hominibus acerbum habebatur, nudum in ignota jacere arena, (cfr. *Kirchmann* de funeribus Romanorum III, p. 342—44. edit. Francof. MDCLXXII. et Interprett. ad Virgil. Aeneid. V, 871. et ad Ovid. Met. XIII, 526.) quanto acerbius videri debebat, nota in terra carere sepultura, quae noli dubitare, quin Archytae, summo philosopho, splendidissima contigisset. Vid. *Kirchmann* l. l. p. 17. et p. 190. *Becker* Charicles II, p. 167.

varint, adjuverint, auxerint quique in cognitione naturae inque rerum caelestium perspicientia omnem triverint aetatem. [5])

Ardens penitus dolore ex tristissima viri summi fortuna orto queribundus [6]) exclamat:

Te maris et terrae numeroque carentis arenae
Mensorem cohibent, Archyta,
Pulveris exigui prope litus parva Matinum
Munera, nec quidquam tibi prodest
Aerias tentasse domos animoque rotundum
Percurrisse polum, morituro!

---

[5]) Erat Archytas ex veterum opinione et θεῖος et σπουδαῖος cfr. Creuzer Symb. III, p. 797. itaque dignus, qui eveheretur

— — ad magni tecta Tonantis
Regalemque domum. (Ovid. Met. I, 170—71.).

[6]) Non possum doctissimi *Eichstadii* (Paradox. Horatian. specimen duodecimum p. 10.) sententiae accedere ad illustranda nautae verba haec dicentis: „Concedi omnino etiam hoc debet, quod jam Gerberus acute observavit, in nautae sermone, maximeque in sex primis versibus, qui illi haud dubie assignandi sunt, inesse aliquid irrisionis, profectum ex vitae conditione, qua philosophi et geometrae, altiora consectantes, a mercatoribus, quaestum fere et lucrum petentibus, distant. Quamquam in hac levi irrisione, vel potius εἰρωνείᾳ, Horatii ingenio ac mori accommodatissima, reperire nequeo improbitatem, contemptionem et malitiam, qua plenam esse Archytae compellationem usque ad versum decimum septimum *Dillenburgerus* pronunciat." De meo quidem sensu vel levissima irrisio, utpote morum feritatem redolens, h. l. prorsus inepta est.

Archytae umbra, arrepto ultimo nautae verbo, quod, ut recte sensit cum *Wolfio* (Vermischte Schriften und Aufsätze p. 435—36.) *Eichstadius* l. l. p. 11. positum est eo loco, quo summa cum gravitate terminet sententiam et alloquio nautae finem imponat, ejus animum et tristitia et, quo ducitur, errore liberatura, non tantum leni ac placida, qualis decet philosophum, sed gravi etiam et ponderosa oratione, ipsis Deorum amoribus ac deliciis, quos in consuetudinem ac familiaritatem recepissent, hoc fatale fuisse docet, ut ex eorum consortione dimissi ad

Pallentis umbras Erebi noctemque profundam [7])

(Virg. Aeneid. IV, 26.)

domosque Stygias (Lucan. Phars. VI, 511.) descenderent, quo et ipse Pythagoras, illud pulchritudinis ac sapientiae specimen, ille a suis discipulis habitus Deus,[8]) praeciso omni ad superos reditu, (*habentque Tartara* cfr. *Thiel* ad Virg. Aeneid. VI, 362. X, 746. *de la Cerda* ad

[7]) Fallitur Cl. *Gernhardus* l. l. Part. I, p. 12. not. 5. hujus *noctis* tenebras et sapientiae luci et honoris splendori opponi existimans. Illi *nocti* (infernae tenebrae Carm. IV, 7, 25.) opponendae sunt *arces igneae*, (Carm. III, 3, 10.) quo *ignea* (Virgilio Aeneid. VI, 130. *ardens* dicitur) vocat *virtus*. (Lucan. Phars. IX, 1, sqq.). Vid. *Dan. Wyttenbachii* Annotatio in Eunapii Aedesium p. 116—18. et p. 120—21. edit. Boissonadii.

[8]) Cfr. *Aelian.* V. H. VI, 17: *'Εδίδασκε Πυθαγόρας τὺς ἀνθρώπυς, ὅτι κρειττόνων γεγένηται σπερμάτων, ἢ κατὰ τὴν φύσιν τὴν θνητήν.* *Diog. Laërt.* vit. Pythag. c. IX: *Καὶ γὰρ καὶ σεμνοπρεπέστατος λέγεται γενέσθαι καὶ αὐτῦ οἱ μαθηταὶ δόξαν εἶχον περὶ αὐτῦ ὡς εἴη 'Απόλλων ἐξ 'Υπερβορέων ἀφιγμένος.* Cfr. Jamblich. I, 28. & *Ritter* l. l. p. 47.

Virg. Aeneid. VI, 128., *Catull.* III, 11—12.) migrasset simulque, injecta Pythagorae mentione, nobilem ejus errorem notat, quod magno sane documento est, discipulum non temere in verba magistri jurasse.[9])

---

[9]) *Vid. Gruppe* l. l. p. 60—61.: „Man thut sehr Unrecht, wenn man, wie in vielen Büchern, hauptsächlich aber von *H. Ritter* geschieht, sich die Pythagoraeische Lehre als ein geschlossenes System und als eine compakte Schulmeinung vorstellt. Der Orden beruhte im Wesentlichen auf ethischen Grundlagen und war praktischer Natur; die theoretischen Ansichten der Pythagoraeer finden dagegen ihren Vereinigungspunct in jener eigenthümlichen mathematisch-ethischen Betrachtung, wonach die Zahl die Vermittlerin aller Erkenntniss ist. Im Uebrigen war hier keine Grenzlinie gezogen, vielmehr der freien Forschung, wie es scheint, schon von dem Meister und den ältesten Mitgliedern her, die Bahn geöffnet, im Gegentheil, eine eigensinnige Orthodoxie, ein sklavisches Festhalten und jenes starre Berufen auf die Autorität des Meisters, scheint, wie es denn wohl zu geschehen pflegt, erst aufzukommen, als der Orden sich zu überleben anfing, oder doch, als eine zu grosse Divergenz der Ansichten den gemeinsamen Ausgangspunct zu verlieren drohte. Aristoteles lässt überall eine grosse Verschiedenheit der Lehrmeinungen unter den Pythagoraeern durchscheinen, und öfters sagt er es uns ausdrücklich."

Optime *Schreiberus*, contra Mitscherlichium disputans, (Adolphi Frid. Christ. Leop. Schreiber de Horatii aliquot locis disputationes Neobrandenburgi CIƆIƆCCCXXIV in 4. p. 12.): „num is, quem Tartara habent, non vere mortuus est, sed in aliud corpus delapsus? Et si corrigere ac restringere voluisset Archytas, quae de Pythagora dixerat, nonne dicere debuisset: Concessit? etiam Pythagoras mortuus est, quamquam non vere mortuus est. *Concesserat* vero quum dicit, respicit ad illud tempus, quo vivebat Pythagoras; quamvis crediderat, se corporis tantum exuvias positurum esse, animam vero aliis corporibus insitum iri, hocque ut aliis persuaderet clypeum ostenderat, quod gestasset, cum Euphorbus esset; hoc tamen longe aliter cecidit; nam eum Tartara habent," falsus tamen est in eo, quod dicit p. 13.: „Fatetur umbra, sese jam intelligere, quantopere erraverint et ipse et *αὐτὸς* Pythagoras, sumentes, animas non in Tartara, sed in alia corpora migrare."

Addit omnibus omnino sub umbras, ergo via leti [10]) eundum esse. Leti, (cfr. Doederlein Lat. Synon. VI, p. 193—94.), quo utitur poeta vocabulo, commodissimus paratur transitus ad sententiam a re non alienam, qua non idem omnibus mortis genus atque Proserpinae imperium ad omnes pertinere hominum aetates aperit. [11]) Atque ne ignoret nauta, quo ipse mortis genere perierit, subjungit:

[10]) Scripseris litera majuscula, memor eorum, quae exstant apud Virgilium (Aeneid. VI, 273. sqq. Georg. IV, 481. *Lessing:* Wie die Alten den Tod gebildet. Vermischte Schriften X, 192.).

[11]) *Hofman-Peerlkamp* ad v. 19—20. haec affert: „Versus inficetus, sine pondere. Sententia de necessitate mortis jam satis declarata est in his:

omnes una manet nox
Et calcanda semel via leti.

„„Hic moritur in bello, hic in Oceano. Sicut et ego."" Vides quanto melius haec procedant versu ejecto."

Non assentior viro doctissimo, quem nollem in sua Horatii censura neglexisset ea, quae popularis ejus *Ouwens* in Noctibus Hag. p. 357. intelligenter disputavit. Gravissima ratione et luculente his versibus mortis ad omnes hominum aetates pertinens vis ac potentia indicatur. Illi *omnes* (v. 15.) h. l. *singuli* et quidem aetatis rationis habita spectantur idque fit ad sententiam explendam. Omnibus omnino, juvenibus, senibus, aliis alio modo (sunt etiam, qui mortem occumbant) moriendum et sub umbras eundum est, nemo unus a Proserpina (cfr. *de la Cerda* ad Virg. Aeneid. IV, 698. u. 99.) Stygio caput damnante Orco adimitur leto. Non vidit doctissimus *Hofman-Peerlkamp* Horatium omni vi summum illud Jovis Stygii (Virg. Aeneid. IV, 638.) et Junonis Stygiae (Stat. Theb. IV, 526.) quae Virgilio (Aeneid. VI, 138.) Juno inferna dicitur, in omnes omnino homines ipsosque Deorum superum amores ac delicias imperium extulisse. Eo spectant *morituro,* (v. 6.) *occidit,* (v. 7.) *habentque Tartara Panthoiden iterum Orco demissum* (v. 9—11.) *sed omnes una manet nox et calcanda semel via leti* (v. 15—16.). Scite, ut solet, Cl. *Orelli:* „immoratur consulto cogitatione de mortis necessitate, quam ne juvenes quidem

„Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis," [12])

quibus verbis fieri non potest, quin nautae animo maestitia afflicto novae dolorum faces admoveantur, quum naufragio perisse, difficilis haberetur obitus (cfr. *Petr. Burmann* ad Petron. c. 103. init. *Ruperti* ad Sil. Ital. Punic. IV, 667.). Itaque cari capitis, in quod omnia dira irrupisse vidisset, miseriis perculsus duroque simillimus saxo, ut Ovidiana illa Hecuba, adspecto Polydori in litus ejecti corpore, (Ovid. Met. XIII, 540. sqq.) nauta defixus stat, altum premens corde dolorem maestumque silentium obtinens. Jam adverte poetae artificium, quo sibi viam sternit ad alteram carminis partem. Archytae umbram gemitu lamentabili, in quem nauta dolorem suum ex calamitoso philosophi sepultura carentis

effugiant. Res autem qua maxime flebilis adolescentuli funus." Versibus ejectis, duo enim ejiciendi videntur Hofman-Peerlkampio, sermonis perpetuitati non prospici, sed offici', recte vidit Cl. *Lübkerus* Commentar p. 169.

[12]) Quae verba a cl. *Lübkero* l. l. p. 160. argutiis exagitata, v. 18. illustrando inserviunt ipsumque Archytam produnt ex eorum numero esse, quibus avidum mare exitio fuit.

Quod *Carolus Prantl* (cfr. Ejus commentatio de Horatii carm. libri primi vices. oct. Monachii MDCCCXLII in 8. p. 19. 20. & 21.) v. 17—18. Horatium expressisse putat, improvisam homines quamvis cautos mortem saepe rapere idque suo ipsius exemplo efficacissimo (?) — poetam enim, quod ipse aliquando fecerit, naufragium narrantem fingit — firmasse v. 21—22., in eo nihil est. Nec erat, cur *Prantl* cum h. l. componeret Carm. II, 13, 13. sqq., ubi Horatius aperte:

Quid quisque vitat, nunquam homini satis
Cautum est in horas;

quam sententiam in eo, de quo hic agimus carmine, ne verbo quidem tetigit.

casu susceptum effuderat, commotam nautaeque, quo defixus tenetur, stuporem ac torporem, per quietis apud inferos inveniendae desiderium, pro segnitia, quae sepeliendi munus obire nolit, habentem fingit instigantemque desidem sibi visum, ut officii religionem haud cunctanter servare, scelus et nefas fugere velit.[13])

---

[13]) Tota via errant, qui lenissimum philosophum semperque sui potentem, in nautam, quem per festinationis simulationem sepulturam ipsam recusare fingunt, acerbius invehi eumque exsecrari statuant. Id eum, si quaeris, graviter monet, ut, quanta sibi et suis officium praestitum commoda, quanta neglectum incommoda laturum sit, secum reputare sibique a nefaria istorum levitate immanitateque cavere velit, qui sanctissimum illud justa insepultis solvendi officium deserant (cfr. *Becker* Charikles II. p. 167—169.). Nautam enim, quicum Archytae res est, non satis habuisse, tribus arenae haustibus supremum erga mortuum philosophi summi hominisque praestantissimi corpus officium explesse, sed illud navi impositum protinus in Tarentinorum urbem vecturum fuisse, quos mortuos suos intra urbis moenia sepeliri solitos esse, auctores sunt *Kirchmann* l. l. II, p. 200. et *Becker* l. l. II, p. 189., non possum, quin existimem. Jam hac ultima de causa prohibeor, quo minus cum *B. G. Weiskio* (Ueber die 28ste Ode im ersten Buche des Horaz. Jahrbb. für Philologie und Pädagogik herausgegeb. von M. Joh. Christ. *Jahn* Vol. XII, Fasc. 3., p. 359—60.). Archytam conditum intelligam, cujus sepulcrum, si prope litus Matinum (veteres plerumque sepulcra mortuorum et ad maris litora collocasse, exemplis docet *de la Cerda* ad Virg. Aeneid. VI, 212. et ad amnium ripas *Idem* ad VI, 874.) exstructum fuisset, quis, quaeso, id tam mire ab Horatio circumscriptum ac tantopere extenuatum fore putet? Verba:

Negligis immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere,

monitoris sunt, sine interrogatione, conditionali ratione capienda, de qua pluribus, suo more h. e. doctissime egit *Obbarius* Comment. in Horat. Epist. I, I, 87., p. 92—93. Verbis: *quamquam festinas* (v. 35.) sua lux accenditur ex loco Ciceronis

Ad quam officii religionem graviter commendandam Horatium, ingeniosum ac sollertem poetam, non inconsulte ac temere summi philosophi umbram et nautam inter se colloquentes fecisse, ex his collige. Et primum quidem altius in pectora descendunt ibique firmius haerent et cummaxime vigent, quae a clarorum virorum, praesertim philosophorum, quibus est, animos ad omnem humanitatem vitaeque integritatem instruere, umbris, sanctis illis et augustis, expetenda fugiendave doceantur. Qua re inducit Archytae, philosophi non cathedrarii, sed veri, qui ex formula sua vixit, viri sanctissimi et Pythagoreorum more caerimoniis et institutis sacris religiose addicti (cfr. *Ritter* l. l. p. 230.) umbram, nec facile cujusquam animus ab humanitatis et sensu et cultu ita abhorreat, quin ejus dictis auscultet eaque ad vitam et usum pie referat. Tum aptissima colloquii consilio nautae persona est, cui hominum generi, quum maris litora legenti saepissime projecta in iis corpora eorum conspicienda praeberentur, qui naufragio perissent, crebro rei adspectu assueto quaestusque faciendi omnium cupidissimo (cfr. doctissimi *Obbarii* Commen-

---

ad Fam. XVI, 9.: „Solent nautae festinare quaestus sui causa." Cum *festinandi* verbo, quo, ut *currendi*, (v. 36. vid. *Obbarius* Comment. in Horat. Ep. I, 1, 46. p. 64.) industria mercatorum ad rem attentorum indicari solebat, *Lenzius* l. l. p. 61. Serapionis (*Brunck* Anall. II, p. 291.) de mercatoribus nautis contulit verba: σπεύδοντες ἐς ἄλλας Ἐλπίδας cet.

Cur cl. *Gernhardi* l. l. Part. III, p. 8. Not. sententiam, festinationem a nauta gestu significatam putantis, ex quo Archytae suspicio nata esset, assensione comprobare non possim, ex iis, quae supra dixi, apparebit.

tarios bonae frugis plenissimos in Horatii Epist. I, 1, 45—46. p. 63.), justa insepultis solvere, jam nulla fere religio erat. Quod vero nautae religiose observandum praecipitur, id latius patet dictumque est non tantum mercaturae causa per maria currentibus, quae doctissimi *Lübkeri* l. l. p. 164. sententia est, immerito reprehensa ab *Eichstadio* l. l. p. 10., sed omnibus omnino, qui ab animo impetrare possent, ut sanctissimum illud insepultos sepeliendi munus turpiter negligerent. Ceterum poetam non inepte conjicias, gravibus humanitatis tuendae ductum esse rationibus, cur suae aetatis hominibus, ad avaritiam, istam omnium et vitiorum et calamitatum parentem ac fautricem, proclivioribus (cfr. *Obbarii* Comment. in Hor. Ep. I, 1, 33. p. 52. u. 53.), illud a patribus sanctissime cultum insepultis justa solvendi officium pie exsequendum proponeret. Optime Cicero pro P. Quinctio c. VI: qua ex re, inquit, intelligi facile potuit, nullum esse officium tam sanctum atque sollemne, quod non avaritia comminuere atque violare soleat.

Pergamus jam ad explananda singula, de quibus interpretes maxime inter se dissidere dixi, quae quidem duo sunt, verba v. 1—4.:

Te cohibent pulveris exigui parva munera et v. 14. et 15.: *Judice te, non sordidus auctor Naturae verique.* Priora illa erant, qui, ut *Eichstadius* nuperrime l. l. p. 4. ad Archytae corpus terra leviter tectum referrent, aliis, ut *Weiskio*, l. l. p. 359. sqq. Archytae tumulus iis circumscriptus videtur, de aliorum denique, qui numero plurimi sunt, sententia, iis Archytas insepultus jacens ac sepulturam exspectans indicatur.

Quam ultimam sententiam cur Horatii habeam, verba me movent v. 23—25.:

At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae
Ossibus et capiti inhumato
Particulam dare;

et v. 35—36.:

— — — — *Licebit*
Injecto ter pulvere curras;

quibus non dubium est, quin superiora illa *pulveris exigui parva munera* repetierit sepeliendique modum, ab umbra optatum, significarit. Quae *munera* quum ab Archyta exspectentur, nondum data putabis (cfr. *Schreiber* l. l. p. 11. *Gerber* l. l. p. 10. et *Obbarii* Excurs. I ad Horat. Epist. I, 7, 18. p. 400. sqq.). Dicendi formam Oxymoron habe, quemadmodum quae praecedit *mensor numero carentis arenae.* Etenim quum munera dari soleant, ad alterum juvandum ejusque res promovendas, (cfr. *Doederlein* Lat. Syn. IV, p. 142. et Voss ad Virg. Georg. IV, 520.) mirum profecto videri debet, quod hoc loco Archytae umbram *cohibere* dicantur. Itaque data quum non cohibeant quemquam, quae *cohibere* dicuntur *munera,* non data existimanda sunt. Omnino haec interpretandi ratio, qua illa verba ad flebilem nautae vocem e corporis insepulti adspectu ortam referuntur, et simplicissima, et a poetica vi vigoreque gravissima, poetae denique consilio maxime consentanea habenda est. Dona memineris, quae mortuis dabantur *munera* (*γέρατα*) appellari

solita esse, (cfr. *Kirchmann* l. l. p. 221. *de la Cerda* ad Virgil. Aeneid. VI, 885—86.) et de cohibendi verbo vide, quae diligentissime disputata sunt a Cl. *Gerbero* l. l. p. 7. sqq. non fracta iis, quae contradixit Cl. *Dillenburgerus* Horat. Quaestt. p. 69—70. Aliter qui *munera* capiunt, eos rem aut argutiis conficere, aut insulsa sine succo poetico commendare, facile dabit, qui vocabuli ab iis prolatas explicationes ad simplicitatis et elegantiae normam examinaverit. Quis *Dillenburgeri* (l. l. p. 70.), ut de aliorum muneris vocabuli interpretationibus taceam, probet, *munera* ad ea referentis, quae ex opere perfecto in opificem vel artificem redundent, (Resultat der Bemühungen) h. l. ad parvum terrae spatium, in quo mortui corpus jaceat? Num putarat nauta, Archytam, Aloïdarum statura hominem, hunc certe studiorum suorum fructum relaturum esse, ut mortuus locum corporis moli accommodatum inveniret?

Tragoedias excitarunt viri docti ad verba v. 14—15.

Judice te, non sordidus auctor
Naturae verique,

fortiter negantes, nautam babere posse intelligens judicium de Pythagora, non sordido auctore naturae verique;[14]) si nautam intellexeris et ingenio

---

[14]) Ut de *calcandi* verbo (v. 16.), ita etiam de *auctore non sordido* falsa *Dillenburgerus* l. l. p. 68. in medium protulit. Est *non sordidus* auctor, qui Virgilio (Aeneid. XI, 339.) *non futilis* dicitur. Poetam in animo habuisse Lucilianum, quod est apud Cic. de optimo genere orat. c. 17. „Aeschines tanquam Aeserninus, ut ait Lucilius: — — *non spurcus* homo, sed doctus et acer," non inepte suspicatus est *Mitscherlichius*

et vita incultum, agrestem et pecudem, non nego, sed quid, quaeso, est, quod te moveat, ut nautam, quicum Archytae umbra colloquens inducitur, talem habeas, ut Horatiani ingenii esse putes, nobilissimum philosophum hominemque sanctissimum cum mortalium profligatissimo ac perditissimo, ab omni non modo honestate, sed etiam simulatione honestatis relicto in colloquium vocare? Quod qui faciunt, nae illi summa Musas eorumque sacerdotem ignominia afficiunt, digni profecto, qui non tantum a nautae, sed etiam Archytae et Horatii umbris, tanquam facinoris sui vindicibus, naviter exagitentur. Aut omnia me fallunt, aut nullum in carmine vestigium inest, quo ductus nautam improbum ac scelestum maledicumque conviciatorem fuisse statuas. Quod v. 23. *malignus* dicitur, id refer ad orationis festivitatem et ornatum neque vero ad ejus mores et naturam. Loci sententia haec est: noli officio deesse, nullo negotio exsequendo illi, largiare mihi, (ossibus et capiti inhumato. *Ossa* spectant ad misericordiam excitandam, vid. Thiel ad Virg. Aeneid. IV, 427.) missa omni in re et vili (Propert. IV, 6, 26. Ed. Lachm.) omniumque abundantissima (v. 1.) parsimonia *(ne parce malignus)* tres arenae haustus, *(parva munera* v. 3—4.) et justa [15]) te solvisse putabo. De maligni

---

Analect. ad Horat. Carm. p. 690. Respondet non sordidus auctor illi, qui nobis dici potest: ein Gewährsmann, der sich gewaschen hat.

[15]) Bene *Becker* Charikl. II, p. 169.: „Die allgemeine bessere Gesinnung gebot, selbst die Pflicht an Fremden zu erfüllen und wo man einen Unbeerdigten antraf, wenn man auch förmlich ihn nicht bestatten konnte, doch ihn mit Erde zu bewerfen. Aelian.

vocabulo, cui *Dillenburgerus* l. l. p. 66. in nautam nihil non improbitatis congerens, justo gravius pondus tribuit, vid. *Heindorf* ad Horat. Sat. I, 5, 4. p. 158. ed. *Wüstemann*, *Ruhnken* Dict. in Ter. Hecyr. V, 2, 2. p. 232. ed. *Schopen*, *Schmid* ad Horat. Ep. I, 16, 8. p. 321. *Thiel* ad Virg. Aeneid. I, 195. Nec verbis v. 30. sqq. notari nautam, scelerate facere cognitum, ex iis, quae supra disputavimus, perspici potest. Carminis vero primi sex versus eum, ex mea quidem eorum interpretatione, et humanum et non indoctum ostendunt. Ac de humanitate ejus dictum est, doctrinam discas ex his. Quum Archytam geometram appellet maris et terrae numeroque carentis arenae mensorem, Pythagoreae disciplinae gnarus cognoscitur, utpote quae praecipuum mathematicae, ad sublimia viam sternenti (vid. *Creuzer* Praefat. ad Plotin. de pulcrit. p. CVII.) et locum et studium tribueret (cfr. *Ritter* l. l. p. 84. et p. 112.), omnia mensuris, ponderibus ac numeris disponeret numerorumque scientiae omnem cognitionem et sapientiam complecteretur (vid. *Boeckh* Philolaos des Pythagoraeers Lehren p. 43. sqq. 53, 55, 58—59, 64, 85, 137, p. 101—2. *Gruppe* l. l. p. 33, 37, 60, 62. Ritter l. l. p. 86—87, 113, 137—38, 143, 156. sqq. 169, 171, 185—86.). Quod arena numero, qui ex Pythagorae doctrina omnium omnino rerum erat, carens

---

V. H. V, 14. und die Ausdrücke selbst, mit welchen man im Allgemeinen die Bestattungsgebräuche nannte, *τὰ δίκαια*, *νόμιμα* oder *νομιζόμενα*, *προσήκοντα* bezeichneten sie als etwas, worauf der Verstorbene einen Rechtsanspruch hatte."

profertur, Oxymoron esse dixi, quo, ut tentandi verbo (vid. *Schmid* ad Horat. Ep. I, 17, 34.) immensos labores summaque studia in rerum natura (mare, terra, polus vid. *Thiel* ad Virg. Aeneid. I, 58. Eclog. IV, 51. Lucret. I, 272, V. 92.) exquirenda et cognoscenda significasse putandus est. Arenae mensor spectat ad reconditam ejus exquisitamque, qua eminuit, scientiam, compara, quae Lydis Pythia respondit:

Οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης.

(Herod. I, 47.). Verba *Aerias tentasse domos animoque rotundum percurrisse polum*, nosse produnt nautam, docti inprimis literarumque studiis imbuti habitum esse, artem caeli siderumque meatus describendi tenere, (vid. *Thiel* ad Virg. Aeneid. VI, 850; Georg. II, 475. sqq.) et quod studiorum suorum fructus morte interceptos queritur, *(nec quidquam tibi prodest* [16]) — *morituro)* ex eo nautam colligere potes, non ignarum

[16]) Praesens *prodest* optime habet, nautae enim de Archytae studiorum eventu judicium ex ipso *morituri* (vid. *Forbiger* ad Virgil. Georg. III, 501, *Thiel* ad Virgil. Aeneid. X, 811.) adspectu aptum est. Quod Aerias domus tentasti animoque rotundum percurristi polum, id nihil tibi prodesse video ad illum, quem animo tuo vere divino ad caeli templa munitum putaram aditum. Nunc cohibent te parva pulveris munera, quo minus ad inferos descendas, ad

— Acherusia templa alta Orci
— — — — pallida Leti
Obnubila tenebris loca. (Cic. Tusc. I, 21.).

Ceterum illud *prodesse* non magis ex sordida ejus mente dictum est, qui omnia ad quaestum et lucrum refert, quam apud Propert. IV, 17, 11.:

fuisse illius et Pythagorae et Pythagoreorum doctrinae, (vid. *H. Riedel* Horat. Flacci Epistol. ad Augustum, Groningae 1831, p. 117.) qua iis, qui in rerum divinarum et caelestium contemplatione toti fuissent et omnes cogitationes ad sublimia intendissent inque corporibus humanis vitam imitati essent Deorum, facilem ex hac turba et colluvione, servato aetherii seminis ortu, ad illos, a quibus essent profecti, reditum patere docerent. (Cfr. Virgil. Aeneid. VI, 730, 746—47. *Frid. Jacobs* Emendatt. in Val. Flacci Argonaut. in Miscell. philolog. ed. Matthiae Vol. I, p. 77.). Ad caelestium concilium *Aeriae* sunt referendae *domus,* ad quas per caeli portam [17]) (Virgil. Georg. III, 261.) aditus erat. Nautam igitur illius omnium Pythagoreorum sermone celebrati ad superos ascensus (*ἄνυοδος*, cujus contr. *κάθοδος*. Vid. *Ritter* l. l. p. 211, 217—20. *Boettiger* Ideen zur Kunst-Mythologie II, 386—88. *Münter* Antiquarische Abhandlungen p. 236. et 240.). *Idem* Religion der

---

Quid genus, aut virtus, aut optuma *profuit* illi
Mater, et amplexum Caesaris esse focos,
Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, et misero steterat vigesimus annus.
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.

17) Vid. Sil. Ital. Punic. XV, 75.:

— — — sed foedere certo
Degeneres tenebris animas damnavit Avernis.
At *quis aetherii servatur seminis ortus,*
Coeli porta patet.

Karthager p. 232—34.) atque turris Jovis (*οἶκος Ζανός*, *πύργος*, *φυλακὴ Διός* caeli arx. Vid. Interprett. ad Virg. Aeneid. I, 250. et 259. *Creuzer* Symbolik III, 94. *Ritter* l. l. p. 170. *Boeckh* l. l. p. 94, 96, 105, 106.) notitiam habuisse, ejus rei verba v. 5. testimonio esse possunt.

His omnibus et dicendi genere, quo Archytae umbra in sermone cum nauta habito utitur, adducor, ut *Wolfio*, (Vermischte Schriften und Aufsätze p. 448.), *Lenzio*, (l. l. p. 64.), *Mitscherlichio*, *Feae*, et si qui alii in eorum sententia sunt, assentiar, nautam non sordidum et ignobilem remigem, sed erectioris indolis nec in literis peregrinum mercatorem habentibus, quem, qualis ac quantus philosophus Pythagoras fuisset, non fugeret. Cur Archytae umbra judicii de Pythagorae doctrina ferendi nautae potestatem concesserit, non male a *Mitscherlichio* et *Lenzio* explicatum est, quorum alter: „Neque tamen hunc nautam ad infimam hominum sentinam detrusum velim, imo, quum, mercaturam faciendo, remotissimas terras adiret, ingenium ejus multarum rerum, litterarum quoque, cognitione excultum esse, quumque inferiorem Italiam peregrinando attingeret, de Pythagora quoque nonnulla fando accipere potuit. Dum igitur Archytas Pythagoram vel a tali homine magnum virum indicatum iri confidit, suum ipse hoc quasi involucro judicium de eo prodidit honorificentissimum. Quo praeclaro artificio adsecutus est hoc, ne partium studio ita de illo sensisse videretur;" alter „modeste igitur, ne praeconium magistri Pythagorae ex ore discipuli suspectum sit, laudem

τοῦ σοφοῦ tamquam ex ore ipsius nautae decerptam auctori suo reddit. Nec absimili modo Corydon in Virgilii Ecloga II, 26. sqq. ad Alexin: *Non ego Daphnin,* ait, *judice te, metuam,* pulchritudinis suae judicium, ut arrogantiae speciem a se amoliatur, deliciis suis integrum relinquens."

Zu der

öffentlichen Prüfung,

welche

am 28sten und 29sten März

in dem

Gymnasium Carolinum

und in der

Elementarschule

abgehalten werden soll,

ladet ehrerbietigst ein

Dr. Friedrich Ludwig Eggert,
Director des Gymnasiums und der Elementarschule.

Neustrelitz, 1844.
Gedruckt in der Hofbuchdruckerei von Carl Gley.